Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 313
Quelle:
Copyright:

CXVIII. VI. C. 10

136 Codex membraneus lat. Sec. VIII. Folior. 78. f. formae oblongae, probe ſcriptus, ſed marginibus a tempore adroſis, atramentoque hinc inde evanido continet *Incerti Commentaria in Epiſtolam Pauli ad Romanos*, quae absque titulo continuo ſic incipiunt: *Principia rerum requirenda ſunt ut notitia earum poſſit haberi* &c. Atque ita usque ad finem ſine ulla diviſione in Capita aut Sectiones decurrunt, adſperſis variis aut in margine aut inter lineas emendationibus ſive ſupplementis, quorum ſingulare gloſſema Theotiſcum *uuider uuindende* verbis Pauli *reciprocam mercedem recipientes* c. I. v. 27. nobis *fol.* 9. p. 2. impoſitum. Ultima verba ſunt: *quia ſi beneficiorum eius memores ſumus ſemper nos tuebitur. ſicut dicit ecce ego inquit uobiſcum ſum usque ad conſummationem ſeculi. Amen. Fol. ult.* p. 2. haec ſequuntur: *Incipiunt uerſiculos.*

Codicis huius ouans uolui confringere penna.
Spinas quas animo ſcriptor congeſſit inerti.
Quique legis precibus pro me pulſare tonantem.
Digneris ualeas ſi chriſti uiuere regno.

Item alii.

Qui ſternit per bella truces fortiſſimus heros.
Rex carolus nulli cordis ſlugore (fulgore) *ſecundus.*
Non paſſus ſentes mendarum ſerpere libris.
En bene correxit ſtudio ſublimis in omni.

Uuinidharius peccator ſcripſit iſtum librum Amen. Explicit Liber, quem dictauit origenis In illis ~~diebus~~ temporibus *chriſtianus fuit. Sed poſtea depraua tum eſt mens eius poſt uana. ſed uos qui legitis non dubitetis, legere quia proficit uobis ſi retinetis. Et orate pro ſcriptore ſi habeatis deum adiutorem In die iudicii. ſic fiat fiat fiat. amen amen. amen.* Falli ſe paſſus eſt a *Winidhario Lambecius*, qui de praeſenti *Codice* agit L. VIII. p. 645. Explanationemque *Origeni* tribuit, hic enim, cum anno 253. deceſſerit, autor Operis eſſe nequit, in quo *Photini* haereſis memoratur annis demum 347 — 49. damnata, ipſo *Photino* an. 376. juxta *Hieronymi* computum ad plures digreſſo. Atqui hoc in praeſenti fit Commentario ad ipſum *Pauli* C. I. v. 1. nobis *fol.* 1. p. 2. *Ambroſii* potius nomine illum diu multumque gaviſum fuiſſe teſtes ſunt Editores *Ambroſii* Mauriani in *Admonitione* illi praemiſſa ad *calcem* T. II. inter *Tractatus ſuppoſititios* p. 21. quibus utinam et noſtrum Exemplar inſpicere contigiſſet,